

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0214

0212

0218

0208

0223

0203

0263

0163

0313

0113

0713

Ende

Anfang

202

nec Deus in ea umquam in multo tempore in pace habitare  
permisit peccatores, sicut patet discurrenti per totius Bibliæ  
historias et per chronicas et legendas.

Veruntamen ratio consultit, quod etiam temporibus Adae  
protoparentis nostri in monte civitatis sanctæ fuerit aliquod  
oratorium in Calvariae loco, quia sicut Adae revelatus fuerat  
humani generis redemptor et modus redemtionis et tempus:  
sic et locus. Et quia redemptorem vivens videre non poterat,  
nec tempus Christi exspectare valebat, ipsum locum redem-  
tionis magnifice honorabat eumque crebrius visitans orationes  
fundebat, et filii ejus. Tandem cum adesse tempus mortis  
suæ conspiceret, emigravit ab Hebron, ubi domicilium habe-  
bat, et in locum Calvariae adscendit ibique mortis debitum  
solvit, quia Christum, secundum Adam, in eo loco morte sua  
mortem a se illatam peremtetur agnovit. Ejus corpus trans-  
tulerunt filii sui in Hebron, in speluncam duplicem, demto  
capite, quod in loco Calvariae mansit; quapropter eum locum  
in veneratione habebant filii ejus. Et credibile est, quod  
sicut Sem, filius Noae, post diluvium ibi fanum habebat: sic  
et ante diluvium oratorium ibi erat. Imo etiam Abraham ibi  
arietem pro filio immolabat. De his hebraica habet traditio et  
Ambrosius et Chrysostomus et Hieronymus et Chronicæ.  
Et licet Glossa Matthæi 27. dicat, mentiri eos, qui asserunt,  
Adam in loco Calvariae sepultum, non tamen obstat dictis  
nostris, quia concedimus, corpus ejus sepultum esse in He-  
bron, ut habetur Josuae XIV., caput tamen ejus mansit  
in loco Calvariae, Deo sic ordinante et Ada sic a filiis  
petente, dum moreretur. Ex quibus omnibus hoc infero, quod  
etiam ante diluvium in loco civitatis Jerusalem fuit ad omne  
minus Oratorium et fanum, non absque hominum cohabitatione.  
Singulariter tamen locus Calvariae semper fuit habitus sanctus  
usque ad Romanorum tempora, qui in odium Judæorum eum  
deputaverunt ad torturas et peremtionem maleficorum. Sed  
Christo in eo exciso omnis sanctitas est loco restituta, jam in  
aeternum mansura. De hoc loco habes fol. 115. et fol. 130.

Pro diversitate ergo personarum et temporum accepit  
haec civitas diversa nomina. Dicitur enim Salem, Genes.  
XIV. et quandoque Solima a poetis nominatur, et Jebus, Josuae

